



**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Volumen ...**

Virtvtes Theologicæ. Libro Triplici Fidei, Spei, & Charitatis materias expono

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1663**

Caput 1. De Suspensionis Definitione, ac Diuisione?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80695](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80695)



LIBER LI. SVSPENSIO.

SVSPENSIO propriè Incertitudinem significat, sed ex iuris Canonici interpretatione translata est, ad signandam privationem cuiusvis actionis, & officij, Clement. Cupientes, verb. Suspendio, de poenis. Hæc tamen acceptio latissima est, communis scilicet tam actibus secularibus, quam Ecclesiasticis. Strictius sumitur pro exercitij spiritualis, vel spiritualibus annexi prohibitione. Cap. Quæsitum. Cap. final. de cohabit. Cleric. & mulier. In presenti Suspendio non ita latè sumitur, sed pro exercitij potestatica prohibitione. Expendam igitur quid sit, & quotuplex, eius causas, & effectus, eius durationem, & absoluti-
nem, pacificus quidem, & pugnax.



SECTIO PRIMA.

De Suspensione Receptiores sine lite Sententiæ.



CAPVT I.

De Suspensionis Definitione, ac
Divisione.

libro quarto, capite primo, numero decimo tertio.

Alia Suspendio est ab officio tantum; & per officium intelligitur tam officium Ordinis, quam iurisdictionis Ecclesiasticæ. Alia est à beneficio tantum, & per beneficii nomen veniunt dignitates Canonicatus, beneficia suæ curata, siue simplicia, & alia huiusmodi. Alia est ab officio, & beneficio simul. Porro illa quæ est ab officio tantum, aliquando est à toto officio, quando scilicet quis privatur omni sui officij usu; aliquando à parte, ut Sacerdotio, aut Diaconatu, aut alio inferiori. Præterea Suspendio alia est pœnalis, alia medicinalis: pœnalis fertur in delicti præteriti vindictam, quæ quidem non fertur per modum Censuræ, sed solius pœnæ. Medicinalis vero est illa, qua intenditur emendatio, ac bonum delinquentis. Denique alia Suspendio est temporalis, alia perpetua. Alia est à iure, alia ab homine. Tole-
tus libr. 1. cap. 45. Manuel rom. 2. summ. cap. 79. Filliucius tractat. 17. numer. 7. Reginaldus libro 2. numero 6. Nauarr. summ. capit. 27. numer. 174.


Suspendio ab aliis Censuris differt. Primò, quia excommunicatio nunquam nisi per absolute-
lutionem tollitur: Suspendio tollitur aliquando. Secundo, excommunicatio nunquam fertur nisi adit contumacia: Suspendio nonnunquam
iuris.

Differt in multis ab aliis Censuris.

Quid Suspendio?

SVSPENSIO est Censura Ecclesiastica privans Clericum usu Ecclesiastici Officij, aut beneficii, vel Ordinis in totum, vel in partem, in perpetuum, vel ad tempus. Hinc colligo, Suspensionem esse Censuram, hoc enim est commune ipsi cum Excommunicatione, & Interdicto: & quidem Ecclesiasticam, ut distinguatur à prohibitionibus civilibus, & ut indicetur causa efficiens Suspensionis, quæ est persona Ecclesiastica, habens in foro externo iurisdictionem. Præterea indicatur subiectum huius Censuræ hoc est, homo saltem Clericus, habens scilicet primam tonsuram. Adici-
tur, Privans usu, ad signandum, non privare ipso officio, verbi gratia, Ordine, vel iurisdictione, sed tantum exercitio. Filliucius tractat. 17. num. 5. Coninch disputation. 15. dub. 11. Nauarr. summ. cap. 27. num. 151. Valent. rom. 4. disputation. 7. question. 18. punct. 1. Sayr. de Censur.

in poenam delicti etiam sine contumacia expellitur. Tertiò, excommunicatio omnis Sacramentorum prohibet suspensionem, & collationem: at non omnis suspensio suspensionem vetat, nisi quando est à suspensione Sacramentorum, nec collationem, nisi quando est ab officio, vel ordine, aut collatione Sacramentorum. Quartò, excommunicationem à iure contrahunt Episcopi, etiam si expressa eorum mentio non fiat: suspensio vero à iure non nisi facta eorum expressa mentione. Quintò differt ab interdicto, tum quia suspensio non inducit priuationem tot, nec tam grauium rerum sicut interdictum: tum quia interdictum magis priuat vñ passiuo, quam actiuo: tum quia suspensio fertur in Ecclesiasticas personas: interdictum vero tam in laicos, quam in Clericos fulminatur. Sextò, differt suspensio ab Irregularitate, quia hæc priuat Suspensionem Ordinis, vt Ordo est: suspensio vero priuat exercitio Ordinis, vel beneficii, seu potestatis Ecclesiæ, vt est quædam functio. Toletus libr. 1. capit. 46. numer. 6. Bonacina de Censur. tom. 1. disputation. 3. punct. 1. numer. 3.



CAPVT II.

De Suspensionis Causis.

4
Causa efficiens Suspensionis.

QUERENDI Suspensionem potestas est à Christo Domino, institutio verò ab Ecclesia, cuius initium fuit Apostolorum tempore. Hæc de tempore autem procedente, fuit ad certam formam redacta. Verum ille potest suspendere, qui excommunicare potest. Quia eadem est potestas ad utramque Censuram requisita. Ordinaria quidem est in Episcopis, & huiusmodi Prælati, delegata potest in aliis Clericis adesse. Syluest. verb. *Suspensio*, numer. 1. Angel. verb. *Suspensio* 2. §. 3. Toletus libro 1. capite 44.

5
Causa materialis remota. Quia omnis suspensio, aut est ab officio, aut à beneficio, aut officium, & beneficium est Clerici proprium: ergo solus Clericus potest suspendi. Verum omnes Clerici tam Episcopi, quam Cardinales, excepto Summo Præsule, huius sunt Censuræ capaces: sed tamen Episcopi suspensionem generaliter à iure latam non incurunt, nisi specialis de eis mentio fiat. Communitas autem etiam suspendi potest, quia est capax culpæ, sicut quælibet humana congregatio: quatenus scilicet est vñ corpus politicum habens propria bona, & proprias actiones ita ad eam pertinentes, vt non ad singulas per se pertineant: vel etiam ratione singulorum de communitate. Suarius de Censur. disputation. 28. section. 1. & 2. Toletus libr. 1. capit. 46. numer. 2. Filiucius tractat. 27. numer. 58.

6
Causa materialis proxima. Causa materialis proxima est peccatum, ob quod suspensio fertur. Et quidem si grauis sit,

requirit mortale peccatum: si leuis, potest etiam pro culpa veniali ferri; in iure autem communiter grauis est, & semper culpam grauem supponit. Suspensio vero late sumpta pro quacumque prohibitionem vtendi aliqua facultate potest ferri sine suspensi culpa, sed non sine causa. Caietan. verb. *Suspensio*. Filiucius tractat. 27. numer. 62. & 63. Toletus libr. 1. capit. 46. numer. 4. Suarius disp. 28. sect. 4. Nauarr. sum. c. 27. num. 159.

7
Causa formalis. Forma suspensionis non est à iure determinata, sed multis potest exprimi modis ille suspensionis actus ipso facto incurrendæ. Suspensio ab homine, quando est Censura lata ob contumaciam, requirit priusquam feratur præuiam admonitionem: si vero tantum in poenam delicti, non requirit monitionem. In ipsa vero ferenda requiruntur verba determinata, quæ suspensionis speciem eiusque effectum significant; hæc vero verba debent scripto proferri ex Ecclesiæ præcepto, quomodo de essentia non fuit. Syluest. verb. *Suspensio*, numer. 4. Filiucius tractat. 27. numer. 65. Tolet. libr. 1. c. 46. num. 8. & 9.

8
Causa finalis. Finis denique Suspensionis est idem qui & excommunicationis, nempe Clerici vitulitas. Ecclesia enim animarum salutem intendit, quando corrigit, & castigat. Tolet. libr. 1. c. 46. num. 11. & omnes.



CAPVT III.

De Suspensionis effectibus.

QUINQUE sunt Suspensionis effectus. Primus, Suspendus delinquit lethaliter ex suo genere exercendo actum, à quo est suspensus. Quia violans Ecclesiasticum præceptum in re graui mortaliter peccat: licet ex paruitate materiæ fieri possit, vt à lethali excusetur. Tolet. libr. 1. capit. 46. numer. 11. Suarius disputation. 27. section. 2. Reginaldus libr. 3. 2. numer. 51. Nauarr. sum. capit. 27. numero 163.

10
Secundus, Suspendus ab Ordine, vel ab aliquo Suspensionem Ordinis includente, non solum peccat, si actum talis Ordinis exerceat, sed etiam si irregularis, maxime si sit maioris Ordinis exercitum, à quo est suspensus. Quod verum est, non solum quando suspensio perpetua violatur, quæ est propriè Censura; sed etiam quando violatur suspensio, quæ est pura poena, & quæ ad determinatum tempus est lata. Vnde suspensus ab Ordine irregularis efficitur, benedicendo aquam, ceras, nuptias, ac mulierem post partum. Item suspensus ab ingressu Ecclesiæ, irregularis efficitur, celebrando in Ecclesia. Præterea Episcopus suspensus à pontificalibus, irregularis fit, gerendo actus, qui soli Episcopo post consecrationem conueniunt. Caterum suspensus à diuinis officiis irregularitatis vinculo illigatur, quoties illa perfoluit ex officio, tanquam Sacro Ordine iniunctus. Suspendus